



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MDLX. ad annum MDCXXIII.

Parisiis, 1644

Gregorii papæ XV. vita.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15522

opere subterraneo & arcuato, veteribus aquæ Alfietinæ ductibus restitutis, nouisque additis, partim in Ianiculum, partim in urbem Leoninam deduxit. Accedebat tanto pontifici insignis pietas, & religionum arbitro digna religio. Mane præter horarias preces, aliis vacare solitus, quotidie animæ noxas confessione expiabat, & ad aram, oblata laudis hostia, diuino epulo pascebatur. Vsum eucharistiæ sumendæ longe frequentiore in Vrbe instituit, atque ex diuino arario depromptis indulgentiis largissime ditauit. Franciscam virtutis plusquam Romanæ feminam, & Carolum Borromeum, in cœtum sanctorum transcripsit. Tantis rebus gestis, cum sexdecim prope integros annos pontificatum tenuisset, & annos 68. menses 6. dies 11. vixisset, obiit Paulus die 28. Ianuarii anni 1621.



V I T A

GREGORII PAPÆ XV.

ANNO
CHRISTI
1621.

GREGORIO decimoquinto, qui Alexander ante pontificatum vocabatur, pater fuit comes Pompeius Ludouisus Bononiensis, mater Camilla Blanchina. Adolescentiam Romæ apud patres Societatis Iesu in humaniorum literarum & philosophiæ studio traduxit: Bononiæ postea legum scientiæ incubuit, vbi postquam laurea insignitus fuit, Romam iterum aduenit. A Gregorio XIII. primus Capitolii iudex electus est, a Clemente VIII. creatus vtriusque signaturæ referendarius; mox inter Romanæ Rotæ patres adscriptus est. Ab eodem pontifice Beneuentum destinatus, vna cum Maphæo Barberino camera apostolicæ clerico, tunc præclari oneris comite, postea summi honoris successore, contentiones inter pontificios & regios ministros exortas admirabili prudentia compressit. Demum a Paulo V. archiepiscopus Bononiensis declaratus, excitato in Italia bello inter Hispaniæ regem ducemque Sabaudia, eo pacificator immisus, suscepto munere dignissime perfunctus est; ideoque a pontifice inter purpuratos patres adscriptus anno 1616. Paulo autem e viuis erepto pontifex renuntiatus est an-

no 1621. quinto Idus Februarias. Ferdinandum imperatorem in Germania aduersus hæreticos pugnantem per diu iuuit, tum expedito milite, tum numerata pecunia in menses singulos. Septemuiratum augustalem, iusque ferendi suffragii in eligendo imperatore, quo deuolutus ob rebellionem fuerat Rheni palatinus, ad Maximilianum Bauariæ ducem transferendam curauit. Dux autem tanti memor beneficii, capta Heidelberga, bibliothecam Palatinam, eruditum ex debellatis hostibus trophæum, Gregorio pontifici Romæ transferendam, & Vaticanæ addendam, donauit. Sigismundum Poloniae regem consiliis & pecunia iuuit Gregorius contra immensum Turcarum exercitum, qui excidium Christianis regionibus minitabatur. Marcum Antonium de Dominis archiepiscopum Spalatensem, virum transfugam, & qui scriptis ausus fuerat Romanam ecclesiam incescere, ex Britannia, in quam concesserat, remoueri curauit, ac scripta sua edito libro damnantem paterne Romæ exceptit. Ac ut prodesse vniuerso terrarum orbi simul posset, Conuentum cardinalium, habendis de propaganda fide consiliis, instituit, annuisque redditibus firmavit. Quarto Idus Martias anni 1622. beatos Ignatium Societatis Iesu fundatorem, Franciscum Xauerium eius socium, Indiarum apostolum, Philippum Nerium congregationis Oratorii auctorem, Isidorum cultorem agrorum, Theresiam Carmelitarum Discalceatorum institutricem, in sanctorum numerum retulit. Denique diploma de creatione Romani pontificis per secreta suffragia, expetitur ab omnibus, tentatum a multis, a nemine perfectum, conscripsit ipse, ac publicauit. In has aliasque pluralis muneris sui curas, quamuis valetudine ab ipso statim initio pontificatus aut tenui aut afflicta, constanti & vigente animo semper incubuit. Tandem obiit in Quirinali septuagenarius, VIII. Idus Iulias anni 1623.

Alfietinz
lanicu-
cedebat
bitro d.
s vacare
abat, &
cebatur.
m in Vr-
is indul-
lusquam
a coetum
n sexde-
et, & an-
e 28. Ia-

XV.
ante pon-
Pompeius
ina. Ado-
in huma-
it: Bono-
am laurea
orio XIII.
nte VIII.
nox inter
pontifice
Barberino
is comite,
nes inter
abili pru-
episcopus
inter Hi-
or immif-
; ideoque
anno 1616.
us est an-